



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XXXI. De ordinatione militis ex accidenti naturaliter in quodam loco  
nati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XXXI.

*De Ordinatione militis ex accidenti naturaliter  
in quodam loco nati.*

**T**itius militis filius, & ipse actu miles ac simul studiosus post absoluta sua studia relictis castris aspirat ad Sacerdotium, verum, cum Titius in quodam inferioris Germaniae oppido ex accidenti in ultimo bello Gallico fuisset naturaliter natus, tanquam miles domiciliò careat. Hinc

Quæritur. A quonam Ordinario sacris Ordinibus quis initiari debeat, aut possit?

### Synopsis.

1. Ut ab Episcopo aliquis ordinari possit, eidem debet esse subditus ratione originis, domicili, vel beneficii.
2. Subditus ratione originis in ordinantis Diocesi sit naturaliter per se natus.
3. Ex accidenti naturaliter natus originem fortitur, ubi illius pater est naturaliter natus.
4. Ut probatur ex constitutione Innocentii XII. *Speculatores.*
5. In filio per se naturaliter alicubi nato locus originis erit, ubi filius, non autem ubi pater est natus.
6. Non ipsius patris origo, sed filii attendenda erit, si pater in loco, ubi per accidens filius est natus, postea domicilium contraxerit.
7. Aliàs ab Ordinario loci, ubi per accidens filius est natus, ordinari hic non potuit.
8. Sed patris origo erit attendenda.
9. Origo patris est origo filii, quomocunque ibidem pater sit natus.
10. Fi-

10. Filius per accidens in quadam Diœcesi natus non erit hujus Ordinario ratione originis subditus, si locus natalitatis paternæ non constet.
11. Hinc talis erit ordinandus à Diœcesano domicili, aut beneficii.
12. An carens subjectione originis, & domicili à quocunque Diœcesano ordinari possit?
13. 14. 15. Afferuntur rationes affirmativæ sententiæ.
16. Negativa tamen ex constitutione Innocentii XII. *Speculatores*, colligitur.
17. Ad validam talium vagorum ordinationem necessaria enumerantur.
18. Hinc noster Titius à loci, ubi per accidens natus, ab Ordinario suscipere Ordines nõ poterit.
19. Sicut tamen poterit ab Ordinario loci, in quo natus illius patrem constat.
20. Quanam, ut ordinari possit, requiratur, exponitur.
21. Aliàs dispensatio Romæ erit obtinenda.
22. Videtur tamen à constitutione Innocentii XII, per Epi-

kejam exemptus noster Titius.

23. Cui locus erit, si observatio legis aliàs esset iniqua.
24. Aut ex illius observatione magnum damnum eveniret.
25. Non solum in jam acquisitis, sed etiam acquirendis.
26. Pro exemptione Titii facit, quòd hic non habeat locum motivum conditi hujus decreti.
27. Grave damnum ex observatione nostro Titio eventurum ostenditur.

### Resolvitur Quæstio.

*A quonam Ordinario quis initiari debeat sacris Ordinibus, aut possit?*

**U**T quis à certo Episcopo ordinari possit, requiritur, ut ille sit hujus subditus, vel ratione originis, vel ratione domicili, vel ratione beneficii.

Ut aliquis legitimus ratione originis fiat relatè ad Ordines accipiendos subditus, debet in Diœcesi fuisse natus per se, naturaliter, & non tantum ex accidenti. Dicitur autem juxta Dia-

T t nam

nam *part. 8. tract. 2. Resol. 11.* & Patrem Viva in *sua Theol. Moral. quæst. 1. art. 3. de ministro Ordinum.* per accidens & fortuito natus in quodam loco, quando in hoc lucem aspexit, cum illuc mater transfret, sine animo ibidem permanendi, quod potest contingere, si mater in talem locum venerit occasione itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cuiusvis alterius moræ temporalis, seu permanentiæ ejus patris in illo loco.

3 Præterea juxta Molpesium apud eundem Dianam *part. 4. tract. 4. resol. 148.* si quis ex accidenti, ac tantum fortuito in quodam loco naturaliter natus fuerit; Episcopus originis dicitur etiam is, in cujus Diœcesi verè ac naturaliter natus est pater ordinandi, quamvis tempore natiuitatis pater ex loco, ubi naturaliter fuerat natus, in aliam Diœcesim domicilium transtulisset; hinc si quis ex accidenti in quodam loco fuerit natus, locus originis erit, in quo illius pater, verè ac naturaliter natus: ut etiam habetur in *lege 3. Cod. de municipio, & origin. filius legitimus sequitur originem patris, non matris.*

idem tenent Diana *resol. 12. n. 1.* & Pax Jordanus *vol. 1. lib. 3. tract. 6. n. 42.* testatur etiam Gobatti in *tract. 8. de Ordinis ministro casu 7.* practicari hanc doctrinam Constantiæ. item teste Diana *part. 4. tract. 4. resol. 148.* Congregatio Cardinalium annò 1599. & 1628. & 1629. ita declaravit. idem sentit Barbosa *allegat. 4. n. 13.* ibi: *ex patris non ex avi origine, dicitur quis originarius.*

Hoc totum autem clarissimè patet ex constitutione duodecima Innocentii XII. quæ incipit *Speculatores*, edita, 1694. pridie nonas Novembris, quam modò in accipiendis Ordinibus observare tenemur. Hæc §. 9. ita sonat.

4 Cæterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligitur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cuiusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita natiuitas, sed vera tantum,

tum, & naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tantò temporis spatiò in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas præsentare teneatur.

5 At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanferit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium de jure per patrem legitimè, ut præfertur, contractum, pro Ordinatione ejusdem filii attendi debet. Unde si Sempronii pater fuerit natus Monachii, postea verò domicilium transtulerit Burghusium, & durante isto filius ejusdem ex accidenti natus fuerit Straubingæ, locus originis respectu filii, erit Monachium, in quo pater verè ac naturaliter natus fuerat. Ita habetur in Bulla Innocentii XII.

§. 9. ceterum subditus ratione originis. Ex quo inferimus, si filius

naturaliter & verè non ex accidenti quodam in aliquo loco fuerit natus, tunc relatè ad Ordinationem talis filii non esse attendendam patris originem, sed ipsius filii. Ratio est, quòd Bulla expressè dicat naturalem originem patris attendendam esse, quando filii nativitas contigerit in quodam loco solùm fortuito atque ex accidenti.

6 Quòd si autem pater in alieno loco, ubi ejus filius per accidens natus est, tamdiu ac eo animo postmodum permanferit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitimè, ut præfertur contractum, pro Ordinatione ejusdem filii attendi debet.

7 Ex istis omnibus inferimus, ratione originis nequaquam ordinari aliquem posse ab Episcopo, si tantùm ex accidenti & fortuito in quodam illius Episcopo subjecto loco fuerit natus, nec pater tanto tempore in loco nativitatis sui filii commoratus fuerit, ut inibi verum domicilium contraxerit.

Inferimus 2. In hoc casu attendendum esse originem patris,

T t 2

ubi

ubi hic scilicet per se naturaliter natus fuerit, cum in talibus circumstantiis origo patris habeatur origo filii, hinc iste à Dicoesano paternæ originis ex titulo originis ordinari poterit.

9 Tertiò. Oritur autem dubium, cum origo patris naturalis in tali casu habeatur pro origine filii relatè ad Ordinationem, num hæc naturalis origo patris debuerit contigisse in illo loco per se, & non tantum ex accidenti, ac fortuitò, vel hujus circumstantiæ nulla sit habenda ratio, ut filius dicatur habere originem paternam? Nobis videtur, ut origo paterna sit origo filii, nullum circa dicta faciendum esse discrimen: ratio est, quòd etiam ipsa Bulla nullum discrimen in hoc faciat, sed generaliter dicat, originem paternam fore originem filii relatè ad accipiendos Ordines, si filius natus revera & naturaliter fuerit in quodam loco ex accidenti tantum, & fortuitò, neque pater in tali sui filii nativitate loco tanto tempore commoratus fuerit, ut domicilium ibidem contraxerit.

10 Inferimus tertiò, quòd si filius

ex accidenti naturaliter fuerit natus, & nesciatur, in quo loco ipse pater fuerit naturaliter natus, ejusmodi filium nullam habiturum subjectionem ad quendam Episcopum ratione suæ originis naturalis: unde exoritur quæstio, à quo Episcopo ordinari possit? Num ipse à quolibet ad suum beneplacitum ordinari possit?

In hoc casu nobis videtur talem ordinandum esse ab illo Episcopo, in cujus Dicoesi domicilium contraxit: cum enim ratione hujus vi Bullæ *Speculatores* citatæ subjiciatur Episcopo tali ratione domicilii; hinc si nullo subjectus sit ratione originis, erit tali Ordinario subjectus ratione domicilii.

Si autem ponamus, talem carere omni domicilio, eò quòd sit vagus, aut miles, qui vagis annumeratur, tunc redit difficultas, num scilicet à quocunque, quem ipse elegerit, Episcopo ordinari possit?

Hæc difficultas primo intuitu videtur facilis superatu: cum enim omnes vagi coram Parocho loci, in quo actu degunt, validè matrimonium contrahant,

hant, etiam poterunt Ordines ab Ordinario loci, in quo degunt, accipere, cum sit verus illorum Ordinarius, in ordine ad matrimonium, ergo etiam erit in ordine ad Ordines.

¶ 4. Secundò: Ut acquiratur domicilium, sufficit, quòd aliquis se in locum certum conferat animò ibidem perpetuò commorandi: igitur cum ratione domicilii aliquis relatè ad Ordines accipiendos fiat subditus talis Ordinarii, ut noster miles v. g. à Frisingensi Ordinario possit ordinari, nullo alio erit opus, quàm ut in quendam Frisingensis Dioceseos locum animò ibidem perpetuò commorandi se conferat.

¶ 5. Quæ omnia confirmantur ex factò cujusdam Ordinarii, de quo meminit Pater Gobatt in suorum operum moralium tom. 1. part. 2. hoc est, *experientiarum Theologicarum tract. 8. cap. 7. de Ordinis Ministro num. 286.* ubi refert, certum cujusdam militis filium ab Ordinario loci in similibus circumstantiis ordinatum fuisse. Casus ita sonat.

Glycerius filius militis, nunc studiosus casuum, natus est in

Gallia, patre milite versante in Gallia, sed nec ipse, nec sorores ejus sciunt, in qua civitate, vel Episcopatu natus sit; Pater & mater obierunt, nec pater alibi fixit domicilium, quæritur, quid cum hoc homine sit incipiendum, cum petat ordinari? Ex hoc casu constat, posse aliquem, qui ratioe originis nulli certo Ordinario est subiectus, sacros Ordines suscipere à Diocesano loci, in quo actu degit utique ratione domicilii: cum nullus fiat Ordinario cuidam subditus, nisi ratione originis, vel domicilii, aut beneficii: ergo tales vagi sortiuntur subjectionem relatè ad Ordines accipiendos in loco, ubi actu degunt: & quamvis Gobattus subjungat, Glycerio, ut ab hoc Episcopo ordinari potuerit, per se antea licentiam Romæ à Pontifice petendam fuisse, subjungit tamen, hac facultate ipsi non fuisse opus, si ad locum, in quo casibus operam dabat, accesserat animo vitam claudendi in illo Episcopatu: ergo accessu ad locum, animò in Diocesi perpetuò permanendi, contrahit vagus subjectionem, relatè ad Ordines accipiendos ratione domicilii. T t 3 Ha-

16 Haecenus allata utique vim quamdam habere apparent, ante enarratam constitutionem Innocentii XII. quae incipit, *Speculatores*. Verum cum modò Ordines juxta tenorem hujus constitutionis sint conferendi, hæc autem expressè meminerit ad subjectionem ratione domicilii, quòd aliquis debeat in talem locum venisse animò perpetuò hìc permanendi, & hunc animum probavisse, vel per decennium hìc habitandò, vel huc ad extructas aedes deferendo majorem partem rerum suarum, ac insuper per aliquod considerabile tempus ibi commorando, debètque jurare, se hunc animum nunc habere.

17 Ex hujus constitutionis tenore clarè patet, ut quis ordinari etiam vagus, seu qui est nullius alterius Dioceseos, possit, non sufficere, quòd quomodocunque ad locum Episcopo certo subjectum animò ibidem perpetuò permanendi accesserit, sed insuper requiri, ut per considerabile tempus ibidem commoratus fuerit: cum igitur studiosi non veniant ad Academiam, multò minùs actuales milites in

præsidium animò ibidem perpetuò commorandi, infertur, tunc studiosum simul & militem ab Ordinario Eustettensi ordinari nequaquam posse, nec à quocunque alio Ordinario Frisingensi, v. g. nisi in Diocesi Frisingensem se contulerit, animò in illa perpetuò manendi, insuper per considerabile tempus in illa commoratus fuerit, & jurandò confirmaverit, se hunc animum nunc habere.

Ex hæcenus disputatis colligimus primò, Titium nostrum, quia ex accidenti tantum, uti ponitur, naturaliter in quodam oppido Belgii natus fuerat, nec pater illius in illum locum unquam commigraverit, animò figendi ibidem domicilium, nec istud unquam ibi fixerit, non posse ordinari ab Episcopo illius oppidi, nec ab isto dimissoriales ad alibi accipiendos Ordines expecti.

Inferimus 2. Si constet de loco, in quo naturaliter Titii nostri pater natus fuerat, tunc locum originis paternæ habendum quoque pro origine filii nostri Titii, ita, ut ab illius Diocesa-

no



no ordinari, aut dimissoriales literas expetere debeat.

Quòd si nesciatur locus paternæ originis, in quo domicilium noster Titius habeat, erit inquirendum, cum autem constet, eundem tanquam militem actualem nullibi domicilium habere, & modò quinque annis Ingolstadii tanquam præsidarium, aut studiosum absque animo ibidem perpetuò commorandi substituisse, ideo nec ratione domicilii ab ullo Ordinario initiari poterit.

- 20 Ut tamen in futurum ordinari à quodam Episcopo possit, 1. relicta militiâ debet se in quandam Diœcesin conferre, animò ibidem perpetuò permanendi. 2. majorem suarum rerum partem illic ad exstructas ædes deferre. 3. per aliquod considerabile tempus ibi commorari. & 4. etiam jurare, se hunc animum commorandi scilicet, nunc habere.
- 21 In casu autem, quo nolit ad tantum considerabile tempus receptionem Ordinum differre, debet juxta citatum Gobatum Româ dispensationem in Lege hac Pontificia, per Bul-

lam Innocentii XII. quæ incipit *Speculatores*: expetere.

Occurrit tamen aliquid, quod<sup>22</sup> nostro Titio ad maturandam sui Ordinationem prodesse possit. Si nimirum dicatur constitutionem Innocentii XII. in sua Bulla, *Speculatores*, Titium in præsentibus circumstantiis haudquam obligare, sed ab illo, per Epikejam, Titium esse hîc & nunc exemptum.

Certum enim est omnibus Doctoribus, cuilibet licere legis alicujus interpretationem, si ea juxta regulam & sensum Doctorum fiat, vi cujus contra verba legis interpretationem facimus, ideo num hæc liceat, modò videndum; postea verò examinandum, an bona & legitima sit nostra contra verba hujus constitutionis interpretatio.

Certum itaque est, licitam<sup>23</sup> esse deviationem à verbis legis, quando ejusdem observatio iniqua foret. Ratio est, quòd Epikeja sit emendatio legis in illo casu, in quo illa peccat: ergo si in quodam casu peccaret, erit locus Epikejæ.

Verùm non solùm in casu<sup>24</sup> quo legi obedire esset iniquum, sed

fed etiam in aliis, in quibus nimis grave ac difficile propter aliquod grave damnum foret cuiusdam legi obedire. Epikejæ locum esse defendit Suarez *lib. 6. cap. 7. n. 9. & seq.* Palao *de cessat. & interpret. legis disp. 5. pes. 3. §. 2. n. 3.*

25 Uterque hic Author extendit hanc doctrinam, non solum, quando grave damnum sequitur ex observantia legis in rebus jam acquisitis, sed etiam in acquirendis; eò quòd vi *legis unica. Cod. de sententiis, quæ pro eo, quod interest, proferuntur, in fine,* lucrum cessans justum & grave, damno, moraliter loquendo, æquiparatur; hinc ab observatione Festi cessare possumus, si illà amitterem occurrentem occasionem magni cujusdam lucri.

26 Ut autem tali Epikejæ locus detur, causa excusans debet ad minus esse probabilis, vel quòd Doctoribus probetur; vel quia firma ratione fulta probatur. Primò itaque videtur stare pro Titii excusatione ab hac lege, quòd in hoc casu non detur locus rationi, à qua Pontifex ad hoc statutum condendum fuerat permotus; hæc enim fuerat

querela quorundam Ordinariorum, meritò ægrè ferentium, quòd multi ex suis Diocesanis, quos illi ex justis causis ordinare recusabant, ab aliis Episcopis, infcio, aut etiam invito proprio Ordinario initiati Ordinibus fuerint: huic igitur magno incommodo volebat occurrere Pontifex: patet autem ad oculum, hanc rationem cessare, quando Ordinum Candidatus omnino nulli Ordinario nec ratione originis, nec ratione domicilii est subiectus, quod hic contingit. Jure merito igitur videtur præsumi, Pontificem in sua Bulla hunc casum non inclusisse, cum intentio Legislatoris juxta Fagnanum *tract. 4. c. 10. n. 4.* Pyrrhing *de constitut. part. 3. §. 1. num. 104.* tum ex materia legis, tum ex circumstantiis, præcipuè verò ex fine, & causa, seu ratione motiva, ob quam fuerat lata, sit colligenda; ex altera verò parte in nostro casu ratio movens ad hoc statuendum nequaquam reperitur. Dein, etiamsi constet, sensum verborum ad certum casum extendi, ob aliquam tamen circumstantiam occurrentem prudens vir interpretatur,

Le-

Legislatorem vel non potuisse, vel non voluisse illum casum comprehendere : ergo tunc locus Epikejæ dabitur.

27 Superest itaque, ut videamus, utrùm observatio hujus legis Pontificiæ nostro Titio sit graviter damnosa. Videtur autem grave damnum eidem evenire, si pro obtinenda Pontificia dispensatione Romam cogereretur recurrere, atque in hunc finem sumptus aliquos facere, quia absque dubio ejusmodi gregarii milites nil habent, utpote quibus necessaria sustentatio vix porrigitur.

Secundò, absque dispensatione deberet se in quendam certæ cujusdam Dioceseos locum conferre, animò ibidem perpetuò permanendi, ut ibidem acquirat domicilium, insuper per considerabile tempus ibidem commorari. Deserenda itaque esset interea ibi militia, ut statum cujusdam vangi deponeret : depositâ autem militiâ non haberet, ex quo se sustentaret, ergo magnum quoddam malum & damnum in suis bonis pateretur, si dispensatio Romæ primùm obtinenda foret.



Uu

Ca-